UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Enchiridion Sev Manvale Episcoporvm Pro Decretis in Visitatione, & Synodo, de quacumque re condendis.

Gavanti, Bartolommeo

Venetiis, 1650

Examinatores.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9534

Visual Library

33 Diaconis, & Clero communio detur ad altare, laicis remotius. Prouinc. 4.

34 Sacerdotibus addita ſtola in modum crucis, *Bracc.3. canon.3.*

35 Adoleſcentes prius examinentur. Prouinc. 1.

36 Miniſtretur laicis cum diſtinctione ſexus. Prou. 5.

37 Miniſtrans Epiſcopus Euchariſtiam extra Miſſam induat Pluuiale cum ſtola. Prou. 5.

38 Miniſtrans Euchariſtiam, vel inſeruiens miniſtranti nihil omninò recipiat, neque à ſponte dantibus, ſub pœna ſuſpenſionis à diuinis ipſo facto. Prouinc. 7.

39 Neque pro eleemoſynis peluiculæ exponantur. Prou. 4.

40 Pro communicando ægroto pridie veſperi detur etiam ſignum cum campana. Prou. 5.

41 Neque noctu ſine neceſſitate deferatur. *ibid.*

42 Parocho impedito, deferat ille, qui audire poteſt confeſſiones. Prou. 4.

43 Parentur neceſſaria, & munda, apud ægrotum à ſodalibus Societatis. Prouinc. 5.

44 Vmbella adſit cum luminibus, & campanula. *ibidem.*

45 Pluuiale adhibeatur in locis inſignioribus. Prou. 3.

46 Vmbella ruralis ab vno geſtanda ritè adſit *ibid.*

47 Duæ ferantur particulæ, altera pro reditu, niſi loci diſtantia, aut alia cauſa aliud ſuadeat. Prouinc. 1. & 2.

48 Purificatione vnquam detur in vaſe ſacro, neque formam calicis habente. Prou. 1.

49 Reis capitalis ſententia damnatis, etiam mane quando exequenda eſt, poteſt dari Euchariſtia. Congregat. Epiſcop. 26. *Iunij* 1590. etiam non ieiunis. Emmanuel Sà *Euchariſt. numero* 2.

50 Numquam deferatur ad ægrotos, vt tantùm adorent. Deciſum refert Praxi Epiſcop. *V. Euchar. ad quintum.*

51 Sodalitas Corporis Chriſti inſtituatur. Prou. 1.

52 Indulgentiæ pro aſſocianda Euchariſtia conceſſæ ſæpius publicentur. Prouinc. 3.

53 Non exponatur cum ſolemnitate à Regularibus ſine licentia Ordinarij. Cong. Rit. 26. *Febr.* 1628.

54 Pro perſonis particularibus exponatur in oſtiolo tabernaculi, aut in pixide velata cum luminibus, & aſſiſtentia. Congregat. Epiſc. 17. *Septemb.* 1598.

55 Putrefactis Hoſtiis, (quod abſit) in pixide, cuſtos earum 30. diebus pœniteat. Sylu. *Euchar. 2. quæſt. 9. ſextum.*

56 Qui incautè eam dimiſerit, licèt nihil nefandum acciderit, tribus menſibus ab officio ſuſpendatur. idem *ibid. ſeptimum.*

57 Ne fiat concio coram Sacramento in altari expoſito, capite tecto. Congregat. Rit. 16. Febr. 1630.

V. Benedictio numero 15. Canonicorum munera numero 48. 50. Ceſſatio à diuinis. numer. 4. Confraternitates numer. 21. & ſeq. Excommunicatio. numero 49. Interdictum. numer. 21. 31. & ſeqq. Peſtis. numero 6. 7. Proceſſio. à numer. 32. Regularium iura ſub Epiſcopis. num. 22. Regularium iura circa Tertiarios. num. 2.

Examinatores.

1 PRo concurſu Parochialium debent in Synodo eligi ſaltem ſex Trident. *ſeſſ. 24. cap. 18.*

2 Pro examine confeſſariorum, & ordinandorum poteſt Epiſcopus eligere, quos voluerit. Gau. *de Synodo part. 1. capit. 31.*

3 Debent eſſe Magiſtri in Theologia, aut Doctores, vel Licentiati in iure Canonico. Trid. *loco cit.*

4 Ex Ordine Mendicantium aſſumi poſſunt. *ibid.*

5 Ex Ordine aliorum Regularium. Gauant. *loco citato.*

6 Si deſint prædicti, poſſunt eligi alii clerici magis idonei. Deciſum refert Maſſobr. *in Praxi de concurſu Requiſ. 11. dub. 2. in fine.*

7 Nominandi Regulares de nomine, & cognomine, ne dum de titulo officii; aliàs ſucceſſor in officio non eſt legitimus examinator. Rota apud Garz. *de benef. parte 9. capit. 2. dub. 22.*

8 Debent iurare ad ſacra Dei Euangelia in Synodo electi. Trident. *loco citato.*

9 Durat officium, donec alia Synodus

habeatur, Deciſum refert Fr. Leo *in theſ. fori Eccl. parte 2. capitul. 3. num. 25.*

10 Mortuis electis, poteſt Epiſcopus alios eligere extra Synodum de conſenſu Capituli vſque ad Synodum. ex Decr. Clement. VIII. relato à Garz. *d. c. 2. n. 72.*

11 Imò, ſi tempore concurſus nullus ſit examinator, poteſt Epiſcopus deputare nouos ſine Synodo. Rota 29. *Nouemb.* 1594. *coram Litta apud Ricc. in Praxi reſol. 355. in edit. 2.*

12 Tres debent eſſe in examine pro Parochialibus. Trid. *loco cit.*

13 Nec examinator quemquam collegæ commendet. Prou. 5.

14 Non accedant, niſi vocati ab Epiſcopo. *ibidem.*

15 Excludatur ille, qui priuatum examinandum docuit. *ibid.*

16 A ſtata prece incipiant examen. *ib d.*

17 Attendant, veſtes, vultum, geſtus, examinandi. *ibid.*

18 Fiat examen circa ætatem, mores, doctrinam, prudentiam, & alia opportuna. Trid. *loco citato.*

Vide ſupra Benefic. Parochialium prouiſio à num. 23. vſque ad 30.

19 Si vota ſunt paria, Epiſcopus, vel Vicarius accedere poteſt, quibus maluerit. Trid. *loc. cit.*

20 Idem fiat, ſi vota ſint ſingularia. *ibid.*

21 In examine ad ordines, ſeu confeſſiones, aut conciones, tres adſint. Prouinc. 5

22 Et præſente Epiſcopo, ſeu Vicario, ſi voluerit adeſſe. Prou. 4.

23 Non poteſt Epiſcopus ſtatuere aliquod ſtipendium, etiam minimum examinatoribus Synodalibus: &, ſi Synodus ipſa ſtatueret, decretum eſſet nullum. Deciſum refert Garz. *d. cap. 2. num.* 374.

24 Caueant ne quidquam prorſus occaſione examinis Paroch. Eccleſiarum, nec ante, nec poſt accipiant, alioquin ſimoniæ vitium tam ipſi, quàm dantes incurrant. Trid. *loco cit.*

25 Nec abſolui queant, niſi dimiſſis beneficiis, quæ quomodocumque obtinebant, & ad alia in poſterum inhabiles reddantur. *ibid.*

26 In Synodo Prouinciali, ſi opus erit, teneantur rationem reddere, & grauiter puniri poſſunt, ſi quid contra officium eos feciſſe comperiantur. *ibidem. V. Benef. collatio. num. 16 & ſeqq.*

ADDITIO.

1 Electi aliàs in Synodo, & non confirmati in poſteriori ſynodo, non ſunt idonei in examine beneficiorum Parochialium. *Congreg. conc.* 13. *Iulij.* 1630. *& Barboſ. de offic. Paroc. par. 1. cap. 2. num. 67.*

2 Si inter examinatores aliquis adſit, qui non ſit examinator ſynodalis, concurſus eſt nullus. *Congreg. eadem Anno* 1629. & deciſum refert *Garz. de benef. q. 2. c. 2. n.* 83. 324. 341. *Barboſ. loco citato, num. 71.*

3 Intellige, ſi votum ſuum det cum alijs: ſecus, ſi tantùm interroget, & alij ſuffragia ferant, in numero debito.

Excommiſſa.

1 SVper electione Papæ, & creatione Cardinalium ſponſiones, & excommiſſæ prohibentur. Gregor. XIV. *Anno* 1591.

2 Sub pœna nullitatis, applicationis pecuniarum pijs locis; priuationis beneficiorum, inhabilitatis, excommunicationis reſeruatæ Papæ. *ibid.*

Excommunicatio.

1 AD finem reuelationis pro deperditis, aut ſubtractis rebus, non inferatur, niſi ab Epiſcopo, ex re non vulgari, & cauſa maturè cognita. Trident. *ſeſſ. 25. cap 3.*

2 Data à Vicario Generali pro perditis valet. Deciſum refert Barboſ. *alleg. 96. num. 6.*

3 Non valet. Deciſum referunt alij. *ibid.*

4 A Capitulo, ſede vacante, valet. *ibid. num. 7. & 10.*

5 Vicarios Apoſtol. eam concedere poteſt per monitorium. Deciſum. 26. Octobr. 1590. apud Barboſ. *num.* 10.

6 Poteſt Epiſcopus communicare hanc facultatem Vicario Foraneo, ſpecialiter, & expreſsè. Deciſum refert Barboſ. *ibid. num. 9.*

7 Inferiores Epiſcopo non poſſunt dare monitoria. Deciſum referunt DD. *ibid. num.* 12.

8 De-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN